

Q. K. 366, 15.

X 1862966

58



Quæ Res bene vertat !

DE

CURSORE PUBLICO,

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCELLENTISSIMI ATQVE CLARISSIMI

M. HERMANNI WITTE

Rigâ - Livoni

FAC. PHIL. ADJUNCTI

Publicè disputandò
vires experietur

AUTOR-RESPONDENS

GABRIEL BERGER

Rigâ - Livonus

IN AUDITORIO MAJORI,

AD D. XVI. MARTII.

ANNO *Χριστογονίας* M. DC. XCII.

Handwritten notes in cursive script, including 'Lambertus' and 'no ...'.

WITTEBERGÆ,
Charactere JOHANNIS HAKII.

17

25
45







F. N. J

I.



I quid est, quod ad commodum publicum optimumque illius ordinem conservandum pertineat, dispositionem Tabellariorum per certas terras atque provincias, non ultimo loco ponendam esse, existimo: Quippe quod per illam quæ Regno vel Imperio imminet, cognoscuntur, quæ cognita, deinceps, arte pariter ac prudentia in ipsâ quasi herbâ, facili negotiô supprimitur. Neque id solum Regibus, Populisque integris, sed & privato cuilibet proficuum est, quandoquidem literis interpretibus, alter in alterius consilio habitare, inimicorum insultus ac technas adversô quidem corpore, tamen impunè excipere potest, quod eò magis mihi perplacuit, quò minus arduum est, ad experiendas animi vires, pro virili parte, propitiô Numine exponere.

A 2

II

II.

Quo Autore *Cursores* illi initium ceperint, mea refert, ut perquiram, & si non convenit inter Scriptores qui omnem eò contulerunt operam, ut explicatam redderent horum originem, quam tamen multâ & longâ exercitatione consequi potuissent. Mihi in eam curam incumbenti, quærendus est Conditor, quem argumenta rerum ostendunt, & à quò temporum rationes non abhorrent. A primis mundi annis fuisse nuntios, qui per loca procul distita, literas ultro citroque portarunt, ex sacro passim codice constat. Quis verò *Cursorum publicorum* Inventor fuerit, monumentis aliis in hac causâ clarioribus, in præsentia utor. Cyrum Persarum Regem horum statorem fuisse autumo, meamque sententiam testimoniò *Brissonii rerum Persicarum Scriptoris p. 146.* firmabo. Quippe qui tradit, memoratum Monarcham *cursum hunc publicum* instituisse, quò mutatis subinde equis, per veredarios, brevi temporis spatio certior redderetur eorum, quæ in remotissimis & per longa locorum intervalla, distinctissimis Regni partibus gererentur. Cui suffragatur *Julianus Taboëtius inter paradoxa Regum p. 112. stationes inquit pedestres & Cursores publicos Cyrus, Scythas bellò petiturus, quingentis ante Salvatoris nativitatem annis ordinavit. Conf. Xenophon. Lib. VIII. Cyropædias.* Verum non explicatè tradit *Orlandus Malavolta in historia Sinensi,* ab Augusto, hos primam originem traxisse; fallit, quando contendit, post tempora Augusti, usum aliquandò dispositorum equorum sublatum, à comitibus Mediolanensibus, qui cæteroquin Vicarii appellantur, denuò introductum fuisse. Peritior harum rerum fuit *Xenophon* qui explicatè

Si Xenophon loquitur
tunc equorum dispositorum
sequitur eundem usum
post tempora Augusti
aliqui magis eundem.

explicatè scripsit, & in hoc argumentò solertiam probavit, *libro IV. Cyropæd.* Verba ejus hæc sunt. *Etiã aliud quicquam excogitasse Cyrum cognovimus, quod ad Imperii magnitudinem pertinet, undè celeriter intelligeret, quis rerum etiã longè remotarum status esset. Cum enim considerasset, quantum itineris equus agitatione diurnâ conficere viribus integris posset, equorum stabula parari curavit, & in iis equos constituit, cum illis qui eorum curam gererent. Ordinavit quoque locò hominem, qui cum ad recipiendum literas allatas, tum ad tradendum eas aliis idoneus esset. Cum quò jungendus *Limæus de Jure publico Lib. II. Cap. IX. p. 138.* Quamverò *Herodotus Lib. VIII. in Uran.* idipsum Xerxi vindicat, nil tamen id sententiæ meæ derogat, quippe quod post prima initia, meliorem hujus constitutionem factam fuisse, lubens concedo. Lubricum verò *Svetonii in Vit. August. p. 49.* argumentum esse, qui Augustum primum Auctorem credidit, vel inde dispalescit, quod jam ante Augustum penes Romanos *Cursores publici* exstiterint, & quidem ante Cæsarem Dictatorem, quod confirmat *Livius Decad. IV. Lib. VII.* Titum Sempronium per equos dispositos, prope incredibili celeritate, ab Amphissâ tertiâ die Pellam pervenisse, idem testis est *Decad. V. Lib. II.* Neque hæc constitutio bona, illis solum autoribus natales debet his tantum coæva, & postmodum penitus extincta, sed seqviore etiã ætate servata fuit, novisque legibus ornata, à Macrinò ut *Herodianus Lib. II.* & à Constantiò ut *Ammianus Lib. XXI.* à Constantinò quoque magni existimata est, ut in ejus Vita *Eusebius:* à Zenone legibus firmata atque adaucta, ut *Cassiodor. Lib. V. Variar:* ad unum omnes tradunt atque testantur. Quod etiã decrevit, jussit, & novissimâ sanctione publicâ confirmavit *Justinianus Magnus* quorsum *vid. Novell: XXI.**

Si Livius Svetonii sententiã
sua non deseruit, sequitur
Svetonio, fuisse autem
cursum publici credenti, si
idem se habere.

III.

Hoc institutum salubre barbaræ quoque gentes imi-
tatae fuerunt, suosque *Cursores* Angaros & Astandas
quorum perniciosissimus *Cursus* erat, nuncuparunt. De
quibus intelligendus est *Boeclerus ad Sueton; in Vit. Au-*
gusti Cap. XLIX. & Lipsius Epist. Cent. III. Epist. LIX. Ho-
rum titulos, quos *Briffonius*, aliique prolixè exposuerunt,
de industriâ omitto; usum tamen, qui Veteribus va-
rius fuit paucis attingam; Pedites nuntios primò loco
ponam, quorum *Heraclitum & Philippidem*, velocis-
simi *curfus*, homines fuisse *Suidas* auctor est. De *Lada*
quoque *Solinus C. VI.* tradit quod ob pedum celeritatem,
ne quidem arenae vestigia sua impresserit. Anistium quo-
que *Laconem*, ut & *Philonidem*, *Alexandri M. Curso-*
res à Sycione Elin usque mille ducenta stadia, uno
tantum die transisse accepi, sed ea quæ decet fide me-
rior. Hos postmodum cum equitibus commutarunt,
adhibitis simul rhedis, unde Græcis equi veredi à *cur-*
su Dromanarii dicti sunt. In quam sententiam legi po-
test *Cassiodorus Lib. IV. Variar;* qui equos, quibus usi
sunt *Cursores*, *Cursuales* appellavit. Huc referri etiam
potest, quod de *Curso Palladiô*, citatus Autor
commemorat, eum tantâ celeritate veredos egisse, ut
tribus diebus ad *Perfarum & Romanorum terminos*
appulerit, totidemque diebus *Constantinopolin* repe-
tierit. De *Curribus*, quibus cum primis usi sunt, *Isi-*
dorus, Julianus & Suetonius prolixè tractarunt, Unicum
memoratu dignum ex *Herodiani Lib. II. depromam.*
Commilitones inquit *ingenti studiô vehiculô vehebant, quasi*
Macrino rerum adhuc potenti, de magnis rebus mitterentur.
Post

Post hæc adhiberi quoque navigia consueverunt, quæ
vel legatorum, vel classis vicinæ adventum prænuntia-
bant. Conf. Seneca Epist. LXXVIII.

IV.

Si eo tempore, quo Cyrus et Xerxes cursores publ.
instituta, bellum quodammodo præcipit ab ipsis ve-
nit, sunt navigia o. post cursores publ.
instituta. Hæc præcipue.

Diversus ille Cursorum ordo cæteroquin *cursum*
publici, sive *Fiscalis* nomine insignitus est, quod ejus
administratio ad *Fisci* *Quæstorem* pertineret. Quorsum le-
gendus *Lampridius in Vita Hadriani. Ammianus Lib. XX. Leg.*
II. Clanicularis cursus meminit, quod tamen malè ha-
bet *Cujacium*, qui, unde nescio, observavit, *clavicularem*
seu *clabularem* à *Clabula* nomen habuisse, quod vehi-
culi, tum usitatissimi genus fuisse putat. *Brissonii* sen-
tentiam in *Lexico Calvinii* expressam meam facio, qui
palàm profitetur se ignorare, quid *cursum clabularis* sit,
neque adhuc probari posse, hoc tale nomen vehiculis
inditum fuisse, undè certò persuasus, dicit, hunc mi-
nimè errasse, qui *cursum caballarem* legere atque de-
fendere conatur, auctoritate *Turnebi Lib. VII. & Luit-*
prandi in historiâ suorum temporum munitus, ubi *Caballaris*
Cursum & Caballiciones frequentissimè occurrunt. *Clav-*
ularis verò *Cursum* invocatur qui *juris publici* erat, quod
militibus caligatis datum concessumque fuit, quorum
caligas clavulis confixas fuisse, compertum habeo.

V.

Negandum quoque non est, quod *cursum* hoc publicum
primùm soli Principes, Purpuratiqu; illorum usi fuerint:
qvip-

••• quippe *Tabelliones* tum adeò insignem operam perferen-
dis sarcinulis ac vulgi literis, dare non poterant. Cum
••• quò congruere videtur, quod *Cassiodorus Lib. IV*, me-
••• moriæ prodidit. *Theodoricus Rex Epistolâ ad Godeschal-*
••• *cum prohibet, ne Cursores plures res, uno simul cursu per-*
••• *agant.* Atq; hæc potestas, quæ Perficâ voce *Parangaria*
nuncupatur, ad solos Imperatores, Reges, ac Principes
pertinebat; Quæ verò aliis concessa erat, *Tractoria* ap-
pellabatur. Hæc quandò ceperint, non satis explora-
tum est, illud autem pro certò affirmare possum, Cle-
ro hos usurpare *Cursores*, minimè licuisse, sed suos
tantum, quos *Ecclesiasticos* vocavit antiquitas, id quod lo-
cupletissimus testis *Ignatius* confirmat. *Epist. XI. Decet*
ait beatissime Polycarpe concilium cogere sacro-sanctum & e-
ligere si quem habetis qui possit divinus Cursor appellari.
••• Quem morem gnayiter annotavit, Cardinalis *Baronius*
Tom. I. Annal. Eccles. Tractoria verò, quæ populo infer-
••• viebat à *Cælio Lib. XI. C. XXIV.* hoc argumentò descri-
bitur quod fuerit *licentia utendi equis publicis Cursorum.*
••• Hæc verò *licentia* *Tabellis* publicis, vulgo diplomati-
bus confirmabatur, quod observavit *Vegetius L. II. C. III.*
unde etiam *Tabellariorum* nomen originem habere,
Ciceronis Lib. II. ad Atticum clypeo nixus, acriter defen-
do. Quantum verò diplomatis tribuerint, ex pænis
neglecti diplomatis abundè liquet. Hæc verò semper
ineunda ratio erat, accipiendum à Principe, aut Præ-
fectò *Fisci*, diploma, quò ostensò parochi, penes quos
equi per viam dispositi alebantur, alacriores ad confi-
ciendum cursum paratos adducebant: Atque hæc erat
publica autoritas, sine quâ nemini cursu publicò uti aut
Tabellarium agere, integrum fuit.

VI.

VI.

Ut verò hæc ordine decenterqve curarentur, præerat Curforibus *Fisci Præfectus*, quem barbaro vocabulo *Curiosum* vocaverunt. Neqve hujus rei obscura causa est, quoniam curam cursus publici gerebat, & ad curiam nuntios mittebat. Ut est apud *Lazium*, cujus *Terullianus Lib. de Fugâ Cap. XIII.* mentionem facit, in quem *Locum Pamelius Oriental. & Occidental. rerum peritissimus*, sic commentatur, cujus verba adjicere me non piget: *Sub Magistro Officiorum Cursus publici Curiosus unus fuit, & sub illò Curiosi minores per omnes provincias. De quibus legere licet Titulum de Curiosis & Stationariis Lib. XII. Codicis Justiniani & Titul. X. Lib. XII. Theodosiani.* Proin qui olim fuit *Curiosus*, apud nos hodie *Tabellariorum Præfectus* seu *Ephorus* audit, à Græcis eleganter *φροντιστὴς τῶ δρόμου* nominatus. His Ephoris suberant alii, minoris auctoritatis, per certas provincias ordinati, quos *Theodoricus Rex in Epistolis suis ad Cassiodorum* Sajones vocat. Munus verò illorum, quò potissimum fungebantur, in eò positum erat, ut per certas viarum stationes, stabula haberent, equorum curandorum partes suis *Hippocomis* seu *Parochis* traderent. Per *Parochos* autem intelligo eos, qui omnia ad refectiorem peregrinantium spectantia afferre solutò pretiò solebant. Huc facere videntur verba *Horatii*:

Et Parochi qui debent ligna salemqve.

VII.

Optimè igitur cautum sancitumqve fuisse judico, ut certis legibus ipsi Præfecti vel Cursores eorum tenerentur

*Sic in tempore quo leges
et verbes curforibus publicis
curiosum vocaverunt. bella quorundam
navata ab eis sunt. et post
sequitur eorum o. d. d. d. d.
post curforibus publicis*

rentur, ne omnia quæ norint illicò divulgarent, nisi ta-
cendò vel sibi vel patriæ, exitium inferant. Hinc M.
Alexander edixit, ne adversam cladem quis ex eâ su-
perstes militi nunciaret, *V. Curtius Lib. VII.* Con-
trarium pro æqvò habuit *Furius Philus* ap. Romanos qui
furiosi instar apud *Livium Lib. XXII.* sic differebat:
*Nequicquam eos consultare, perditam spem fore, despera-
tam comploratamq; esse Rempublicam.* Salubrius mihi tamen
videtur si quid rumore aut famâ à finitimis acceptum
est, ad Magistratum deferatur, neve cum aliis com-
municetur; quod sæpe homines temerarios atqve impe-
ritos, falsis nunciis terreri, & ad facinus impelli, &
de summis rebus consilium capere, cognitum est. Re-
ctè autem Magistratus multa occultat, quæque ex usu
judicaverit multitudini prodit: hæc tamen agere oportet,
dissimulatò magis, quam spretò periculò. Sic quo-
què consultius est, ut, si Cursores nova accipiant, quæ
exercitum Principis reddere possunt vel nimis securum,
vel otiosum hæc clanculum Principi nuncient, inprimis
Isocratis dictum ad Dæmonicum ipsis cordi sit, *duo fac di-
cendi tempora vel de quibus Tibi manifestè constat, vel de qui-
bus necesse est dicere, in his solùm sermo silentio melior, in
aliis verò præstantius tacere quam loqui.*

VIII.

Quoniam verò magno semper Reipublicæ usui fu-
erunt, inviolabiles meritò habiti sunt. *Conf. Jul. Cesar.*
Lib. III. de bello Gallic. n. 66. Bonum quidem, æqvitati
& juri naturæ consonum est, pœnas à delinquente exi-
gere;

gere; At jus gentium Legatos & qui his similes fide publica veniunt *Cursores*, eximit; Quare ut rei fiant Legati gentium juri repugnat, quò multa vetantur, quæ jus naturæ permittit. Neq; diversum ab iis sentio, præsertim ubi video privilegium, ex naturâ ac genio suo ultra jus commune aliquid tribuere atqve concedere; Cæteròquin privilegii nomen non mereretur. Idcirco si crimen quoddam Legatus seu *Cursor* atrocius commiserit, mittendi sunt ad eum qui hos ablegavit. Si verò armis invadere innoxium ausus sit *Cursor*, non tam per modum pænæ sed per modum naturalis defensionis interfici licitum erit. Huc referri potest *Hugo Grotius* qui scitè sapienterqve hæc de re docuit, *Lib. II. Cap. XVIII. de J. B. & P.*

IX.

Illud quoque addere juvat, vel eâ de causâ *Cursores* nunquam violandos esse, quum ipse Magistratus plerumqve illorum comitatu rhedisqve, ubi latere constituit, utatur, quas olim Romanus quoqve per provincias iturus usurpavit. Utrum verò hic cursu privato an publico usus sit, velut controversiam inanem aliis relinquo, cum integras paginas paucis abhinc annis hac quæstione contaminatas fuisse ex *avroψia* persuasus sim. Ut verò & tutius iter facere potuerint *Cursores*, semper Dynastis summa cura fuit, ne viæ publicæ ullius prædonis, vel hujus, quod peregrinantem remorare posset suspectæ viderentur, tanta quoque viarum ab Imperatoribus habita ratio fuit, ut certos harum Curatores constituerent, qui vulgò *Stratores* seu *Viocuri* vocaban-

bantur. Horum autem munus erat, ut pontes atque itinera sedulo curarent, vias interruptas corrigerent ac complanarent, quò verò nunc angulo lateant ignoro. Sæpius quidem optarunt Viatores, ut *Stratorum* officium revocaretur in Germaniam, quò majori cum voluptate iter facientes & *veredarii* minori cum damno, ac lucro ampliori cursus absolvere possent; Plus enim per corruptas vias amittunt, quantum viarum complanationi impensè sufficeret. Hoc officium in Gallia peculiaris Magistratus Regius obire solet, qui *Ministres des ports & passages* dicitur. Neque magnos Regni Proceres has partes suscipere puduit, quippe quod Augustus Generum suum Agrippam eodem fungi mune e voluit, teste *Svetonio* in *Ejus Vita*. Cum verò aliis Imperii curis onerari se Principes viderent, permisissent, ut Mancipes cursus hos publicos conducerent. Quorum *Conductorum publicorum* seu *Publicanorum* *Agellius Lib. XV. C. IV.* & *Dio Cassius Lib. III.* meminere: Magna tamen hæc in re adhibenda cautio, ne malà habendi libidine, in pejus degeneret optima constitutio, quod Galliam nescio quò fatò invasit, ubi hæc præfectura quoque venalis fuit. Hoc vitium à *Zosimo Lib. IV.* ceu indignissimum Imperatore Theodosio observatum est, quod non hominibus sed divitiis officia demandarit.

X.

De his verò dictum mihi sufficiat, nec dubito hoc instituto meo apprimè convenire, si de occulta scribendi ratione aliquid adducam. Insidiis hostilibus nullum ferè tempus immune fuit, quò factum est, ut, fidei
Curso

Cursoris publici epistolas committere satis prudenter multi dubitârint, & vel eos *Cursores* interdum adhibuerint, quos humano periculo liberos esse confisi sunt. De hirundinibus itaque tradit *Plinius Lib. X. C. XXIV.* Quod Cecinna Volateranus vir ex equestri ordine maximè clarus, comprehensas hirundines ceu victoriæ nuntias amicis miserit; quæ nidum repetentes, colore quò illi erant, quid factum sit docuerunt. Quo nec illud abhorre judico, quod *Idem Lib. X. C. XXXVII.* de Columbibus memorat, quæ optimæ desperatis sæpè rebus internuntia fuerunt. Quod quoniam ornatè descripsit, verba hæc notari merentur. *Quid, inquit, vallum & Vigil, Obsidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio, per cælum eunte nuncio,* loquitur hæc *Plinius* de Hirtiô qui ad Decium Brutum Mutinæ ab Antoniô obsessum, literas per Columbas misit, quas fame diu vexatas atque confectas, è locò mœnibus vicinô expulit, ut statim ad escam, à Decio rerum consciô paratam, volarent; harum pennis affixas epistolas Decius accepit ac perlegit. Ejusdem ferè argumenti est, quod apud *Sabellicum Lib. VI. C. VI.* reperitur. Sultanum etiam ejusmodi avem Ptolomæiden obsidione Gallorum ac Venetorum cinctam ablegasse, literis, quibus instructa volucris erat significantibus, se post triduum, cum manu selectâ armatâque adfuturum. Verùm spe suâ dejectus est Sultanus, Veneti enim, ut conspexere columbam, horrendo militari clamore perterritam, præcipitem dederunt, literis Sultani spoliârunt, & aliis postea, quæ fictæ erant suppositis, effecerunt, ut, desperatô auxiliorum adventu, tertium ante diem se suaque omnia hosti dederent. Columbam quoque, cum Godofredus Bullionæus Hierosolymas obsessas teneret, à

Barbaris in urbem cum epistolâ missam, ab accipitre in
terram, prope Bullionæi castra deturbatam fuisse, lite-
rasque sub alis reconditas habuisse refert *Æmilius*
L. IV. De Jani Dauzæ columbâ, quam ex obsessâ Ley-
dâ dimisit, insignis ille Philologus, orbi literato notissi-
mus *Heinsius* hoc epigramma confecit.

*Martius ingentem glomeratô milite Leydam
Cinxerat, & vastô robore miles Iber;
Terra salumque inquis, mea sunt; Via nulla salutis
Nulla patet puppi semita, nulla viro,
Dausa meus, medio spe libertatis in hoste,
Liber, & invictô pectore tutus erat.
Ille polus, dixit, Dominum non novit Iberum,
Et tua tota mihi, Jupiter aula vacat.
Hinc quoque fas nobis, patriæ sperare salutem:
Ille mihi minos, hac fugiendus erat.
Quid patriæ non præstat amor, qui falleret hostem
Dauza virum nequit mittere, misit avem.*

Neque hoc callidum inventum hominibus fatis fuit, quin
naturâ artifice, literas urinatoribus curandas dederint.
Cujus Inventor Hirtius Consul, Antonii obsidione cin-
ctus, perhibetur; hic literas ex plumbô factas Urinato-
rum brachiis affixas ad Decium misit, *Conf. Frontinus Lib.*
III. C. XIII. & *Dio Cassius L. XLVI.* Utribus postea, qui-
bus iuclusæ literæ erant, Lucullus gregarios milites
imposuit, qui marinorum instar monstrorum, velut
portentô quodam, stationarios terrerent, ut commentô
hoc usi ad Cyzicenos à Mithridate obsidione clausos
nuntium perferrent. De quô legi potest supra citatus
Frontinus Lib. III. C. XIII. Ne dicam, quod jactu te-
lorum

lorum literas per aerem miserint, nec etiamnum tale
quid conari milites ignorent, de quo *A Porta Lib. II. C.*
XXI. Herodotus L. VIII. Polyænus Lib. VIII. & Dio Cassius
Lib. XXXIX. copiosè satis scripserunt.

XI.

Hæc de occulto Cursore seu nuntiatio observavi,
nunc operæ præteritum fuerit, quædam notare, quæ ad
occultum scribendi modum in literis obvium, pertinent.
Laurentius Florentinæ Reipublicæ Princeps, panem lite-
ras incoqui iussit, caractere & sibi & alteri ad quem
misit notum, inscriptas, hunc panem per nobilem, men-
dicantis habitu amictum, ad Regem Ferdinandum por-
tari voluit. *V. Brutus L. VIII. Histor. Florent.* Quomo-
do etiam humana cutis loco epistolæ fuerit de hoc *Ovi-*
dus egregiè cecinit:

Hoc caveat Custos pro chartâ conscia tergum
Præbeat, inque suo corpore verba ferat.

Capiti deinceps humano sub capillis inscribere literas,
excogitavit *Histyæus Milesius*, qui ægro mancipio, factâ
recuperandi sanitatis spe, capillos totondit capitique ejus
stigmata quædam inscripsit, capillis postea progermi-
nantibus, ad *Aristagoram* misit, monitum simul additum,
ut si ex animo sanitatem optaret, denuo se tonderi
pateretur. *Aristagoras* mandato parens, mancipium
rasit, & quod scriptum erat cognoscit, hujus videlicet
argumenti. *Histyæus Aristagoræ* Joniam ad defectio-
nem sollicitat. *V. Polyænus Lib. I. Agellius. L. XVII. C. IX.*
Nec

Nec id humanæ sagacitati terminos posuit, quin de aliis subinde medijs hæc sibi prospexerit, quam Poloni duo Tencinius & Drevicius secuti fuerunt, dum epistolam Candellæ cereæ inclusam Buciacio Camenecia urbi Præfecto transmiserunt, datô portanti mandatô, ut Cameneciam ingressus ex eâ candellâ Buciacium accipere lumen juberet. Hic suspicatus commentum dissectâ candellâ invenit, quæ magno sibi emolumento tum temporis erant, *V. Cromer. Lib. XX.* Quem modum Julius Cæsar & Augustus sibi elegerint *Svetonius Dioque Cassius* passim annotarunt. In horum epistolis notæ quædam occurrunt & literæ seorsim positæ, quas inconditè locatas esse multi putarent, hisce quippe ex literis adeò disjunctis formari verba minime possunt, nisi ab iis solum, inter quos de his notis conventum erat. Non abs re eruditi homines, tales scribendi latebras quæsierunt, scripta enim occultare, & ut dicunt *synthematico* imò supposititiô caractere tegere, viri prudentis argumentum est, cum nôrit in manus alienas, & hostium sæpius, literas incidere, quæ vi vel fraude intercipiuntur. Hanc *κρυπτογραφία* Lacedæmonij magnô pretiô habuerunt, & literas publicô nomine ad Imperatores missas, cautè diligenterque occultaverunt, ne, si ab hostibus exceptæ forent, quid scriptum sit, intelligeretur. Hæ literæ sic comparatæ erant: Duo fuerunt *surculi teretes* ejusdem crassitudinis & longitudinis, alter Imperatori in bellum proficiscenti dabatur, alterum sibi domi servabat Magistratus. Simulac harum secretiorum literarum commercium instituebatur, circa hoc lignum sive *surculum*, lorum quoddam tenue, tantæ tamen longitudinis, quæ rei con-

consignandæ satis erat, complicabant volumen rotun-
 do ac simplice, ita ut oræ seu extrema lori, hoc in
 ligno convoluti, undiqve coirent, literas dein-
 de per transversas juncturarum oras scribebant.
 Hoc lorum literis ita perscriptis, ex ligno revolutum,
 Imperatori, rei non ignaro, mittebant. Quod lorum
 resolutum literas truncas atqve mutilas repræsentabat,
 membraqve earum & apices in partes diversissimas
 spargebat. Propterea si hoc lorum in hostium ma-
 nus pervenerat, nihil eorum quæ scripta erant, le-
 gere poterant. Sed quàm primum ille ad quem per-
 tinebat lorum acceperat, memorato ligno hoc ipsum
 applicuit, quò pactò literæ per ambitum ligni sive
surculi coalescentis iterum coibant, & integram epi-
 stolam lectu sic facilem præstabant. Illud litera-
 rum genus Lacedæmonii *Σκυτάλην* vocabant, quod
 tamen *CL. Scaliger* ridet & exercitat. CCCXXVI. pro nugis
 Laconicis meritò habet. De hac Scytale elegantissimos
 Aufonii versus apponam:

*Vel Lacedæmoniam Scytalem imitare, libelli
 Segmina Pergamei tereti circumdata ligno
 Perpetuò inscribens versu; qui deinde solutus,
 Non respondentes sparsò dabit ordine formas,
 Donec consimilis ligni replicetur in orbem,*

XII.

Lubrico quidem Republicæ Statu ubi fides in di-
 scrimen venit, & metuendus non cultorum hostium
 impetus, hic mos scribendi laudandus est. Quandò ve-
 rò *Cursorum* jura! sancta semper, servantur, neqve hâc
 C arte,

arte, neq; Cursoribus avibus opus esse putabo. Si-
 dem optima Imperatoris, ac provida Regum curâ fa-
 ctum est, ut brevissimô temporis spaciô, & eqvites &
 pedites vastissima semper itinera emetiantur. Heme-
 rodromorum jam olim celeritatem *Livius*, gnavus & æ-
 tate proximus probatissimusque Scriptor, magnoperè
 commendat, & Troglodytarum extimorumque Æthio-
 parum nativam pedum pernicitatem, quâ fugacissimas
 feras rapidô cursu assequi potuerunt, laudat *Alexander*
ab Alexandro L. II. dier. geneal. C. XXI.

XIII.

Quæritur etiam adhuc & in controversiam voca-
 tur, num ad majorem celeritatem Cursoris faciat, si
 liene privetur? *Plinius* quidem *Lib. XI. natural. histor.*
C. XXXVII. & alii cum illô eâ feruntur opinione, lienem
 Cursori, quia ipsi impedimento est, sine dispendiô vitæ
 eximi posse. Rectius tamen cum *Cæcilio* contra sen-
 tiunt. Quod verò tale quid acciderit, dicitur quidem
 sed non probatur, & ab iis, quæ arti medicæ operam na-
 vant, id meritò ridetur, quandoquidem lienis vulne-
 ra periculosa, imò sæpius lethalia habentur ob san-
 gvinis effusionem, cum multæ arteriæ & venæ cum il-
 lô sæctissimè sint conjunctæ. Atque in hac causâ se-
 quor celeberrimum Excellentissimumque DN. B E R-
 G E R U M Botanices Professore[m] Experientis-
 simum, olim Hospitem meum nunc Patronum,
 omni observantiâ colendum, Qui experientiâ magistrâ
 retulit, lienis superficiem vulneratam mortiferam non
 esse, vasa verò illius ubi læsa fuissent, lethale vulnus
 effi-

efficere. Sed manum de tabulâ! In his enim hospes,
has mihi partes defendendas non fumo, sed eâ quâ
decer modestiâ peritioribus relinqvo.

XIV.

Prout verò celeritas & virtutes, quæ *Cursor em de-*
cent omnibus probantur, sic quoque vitia illorum
culpanda erunt, perditores enim hi, non Curatores
literarum sunt æstimandi; hujus experimentum maxi-
me ridiculum cepit nuncius, Dionysio Syracusanorum
Tyranno à Timocrate missus, iste enim somnô grava-
tus ad quietem inter arbutta se composuit, lupo
interea odorem carnis, quam perâ asservatam ha-
bebat, secutus, peram cum literis abstulit, Tabella-
rius deinceps evigilans, perâ non repertâ aufugit.
Quod *Plutarchus* si hac in re fidem mereatur, in *Dione*,
scriptum reliquit.

Plura de jure Tabellariorum sive Cursorum
habet *Ludovicus Hörnick Tract. de Regali*
Postarum Jure & Fritschius de jure vi-
arum publicarum. Quod re-
liquum est

Finio cum FINE

sine
FINE.

Publica permagnæ sunt utilitatis in Orbe,
Inde Domus quævis Privata vigere solet.
Publica sicut eunt ad commoda plurima semper,
Cætera, sic Cursor dat bona multa solo.
Omnibus hic Statibus servit, prodestq; meando:
Commoda dat Regnis, Ecclesie, atq; Domo.
Fert secreta Virum, communicat inter Amicos,
Et plenos Currus utilitatis agit.

Hæc, BERGERE tuis Meletemasi perscrutaris,
Dum Bona præ reliquis Publica semper amas.
Perge Tue varias Mentis exponere Dotes
Omnibus. Sic olim publica lucra feres!

Johannes Deutschmann /
SS. Theol. D. & PP.

Egregiæ genetrix certè est industria laudis,
At multum quemvis prompta Minerva
juvet.

Neutrum se juncti a neurro: non amplius indè
Mirer, si nequeas vivere laudis inops.


*Ainoris & affectus ergo
scrib.*

Job. Gothofredus Berger,
D. & P. P.


Musa

Musa Sophia Sion Tua sunt, BERGERE, cupido,
Te cupidè redamant Musa, Sophia, Sion.
Perge favere diu Musa, Sophia, atq; Sioni,
Præmia magna dabunt Musa, Sophia, Sion.
Musa facit cunctis Te gratum, jamqve Magistrum
Te Sophies, Myftam dicet in æde Sion.
gratulandi causa

f. f.
Christianus Rohrensee/
Philof. Praët. Prof. Alumn. Elect. EPHORUS
& p. t. DECANUS.


Gentis honos, BERGERE, tuæ, committo faventi
Teluci Aonidum, & prælia docta subi.
In caput eximium, perq; os & amabile pectus.
Effundat plenos prodiga Musa finus,
Et dicat placuisse sibi, placuisse Minervæ
BERGERUM, & laudis publica signa dare.

Theodorus Dassovius,
LL. OO. PP.


NON submersa diu tenebris latet Aurea Virtus;
Emitat, & qvôvis clariùs igne nitet.
Hoc Nos BERGERI Sapiens Industria Mentis,
Hoc, Sophia Sedes, pulpita Docta, docent.
Maçte hóc felici Studiô. Nam Laurea Splendens.
Qvô Tua mox Pallas Tempora cinget, erit.
Hæc Amoris ergo addeb.
M. ABRAH. HENRICUS DEUTSCHMANNUS,
Fac. Philof. Adjunctus.

C ;

Mul-

Multos Leucoridi Celebris Livonia mittit,
Artibus ut claris erudiantur ii.
Nutrit hos semper fetus Svavissima MATER,
Atq; fovet gremio tempus in omne suo.
Laudibus ornavit multis, multosq; paravit;
Ut doceant cives religionis opus.
Svaviter HÆC, BERGERE, Tibi sua basia libat,
Ac præbet largà munera summa manu.
Quod Pietas Studiumq; merent, & ob illa Coronam
Crede Tuis meritis Leucoris Alma dabit.
Perge Tuas posthac nobis ostendere dotes,
Præmia sic capies digna Labore tuo.

*Hæc Nobilissimo & Præstantissimo DN. Autori, Au-
ditori suo Solertissimo amica mente ac
manu apposuit.*

M. HERMANNUS WITTE,
Fac. Phil. Adj. & PRÆSES.

Sie Weisheit welche sich der Oberwelt verschrieben /
Und ihres Namens Ruhm den Sternen eingeeht :
Ist nur bemühe das Recht / und Ehrbarkeit zu lieben /
Und was sich die Vernunft zu ihrem Ziele setzt.
Sie führe den reinen Sinn und himmlische Gedanken /
Und wirffe der Götter-Lichte der Menschen Herzen ein :
So mus die Trefflichkeit in diesen engen Schranken
Ein nettes Himmels-Bild in dunklen Spiegeln seyn.
Sie läst den Nectar-Safft durch rauhe Gärten fließen
Und Ambra und Ziebeth in irdnen Schalen stehn.
Will jemand ihrer Gunst und Schönheit sich erkiesen
Der mus der Laster Schaar getrost entgegen gehn.
Herr Berger will der Ehr hie würdiglich geniessen /
Er untergiebet sich der Tugend in der Zucht.

Es

Es wird aus Ihm der Nahm / wie eine Quelle fließen /
So nach des Leibes . Tod des Nahmens Leben sucht.
Sein weises Werck thut kund / worzu er ist geböhren
Zu nichts / als was ihm gleicht. Sein Zadocks Mund
zeigt an /

Wie das an seine Pracht kein Hoffnung sey verlohren /
So Ihm zur Landes Lust und Atlas machen kan.
Ganz Lieffland freuet sich ! Es lobet Sein Beginnen /
Es pfändet sich hemit Ihm stets zu gunsten ein.


Leb woll / und über woll : so ruffen unsre Sinnen :

Die Schrift soll zwischen Uns und Ihm ein Zeuge seyn.

Dieses wolten Ihrem wehrten Hn Lands-Maße
zu schuldigen und wolverdienten Ruhm beysetzen

Die sämptliche in Wittenberg Studirende

Lieffländer.




NUmquid Virtutes claras, BERGERE, politas
Vel laudabo theses? arbitror haut opus est.
Ipsemet in Cathedrâ nunc stans testaris abundè,
Quæ sint ingenii gargara rara Tui.

Non igitur mirum, si mox Tibi Mitra paretur,
Et Pallas cingat tempora fronde Sacrà.

*Doctissimo DN. AUCTORI RESPONDENTI, de insigni eru-
ditionis specimine gratulaturus scrib.*

JOH. ANDREAS HELWIGIUS,

Berolino-Marchicus.



J. H. F.

Hic rhodus, hinc salta: Tua nunc problemata vera,
Ut ponis σοφῶς, sicq: tuere σοφῶς.

Plurima moliris moliris grandia: si quum
Omnia discutias, Tute Magister eris.

Cumq;

AK Tc 1280

Cumq; bonum duces, si diceris esse Magister,
Ad laudes melior tunc Philomela canet,

Honori DN. BERGERI, ob Gamalielelem suum, cui
ἰσορροπον reddere non sustinet, in γλωτταναλογο-
γνωσία versatissimum, natalis mei soli aeternum
decus, UPPENDORFFIUM, maximè cari, velifi-
caturus, Pegaseo calamo scribeb.

JO. HENRICUS SEUSERINGS, Hofsat.

SONNET.

Wie so geschwind hinauff nach Pindus Spitzen?
Hat schon bey Dir gefrucht die Tugend Saat?
Daß man in Eyl erwehlet solche Thaat?
Die fluge Kunst / das stetigliche Schwitzen /
Ein Uppendorff mus deinen Geist erhitzen.
Was Priscian / Asinius verschweigt /
Ein Musen Kind uns mit den Fingern zeigt /
Sieht man genug bey unsern BERGER sitzen.
Glück zu! Glück zu! schreit meine Poesie /
Wie schlecht Sie ist / zwar was du liesest hie.
Das ist nur Schrift und blosses Wörter Scherzen /
Doch soll Sie auch seyn eine Zeigerin /
Das ich bereit Dir aufzuwarten bin.
Den höchsten Wunsch den trag ich noch im Herzen.

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem Herren
Auctori als seinen Herxbrüderlich-geliebten
Freunde zu seinem wohlmeinenden Vorha-
ben gratuliren wollen.

Johann Isaac Trempenau / aus Dankig.

✽(o)✽

